



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XV. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT XV.

Idem.

EXcommunicamus, & anathematizamus universos Hæreticos, Catharos, Patarenos, pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de varietate conveniunt in id ipsum. Damnati verò per Ecclesiam, sæculari judicio relinquuntur, animadversione debita puniendi: Clericis prius à suis ordinibus degradatis,

NOTÆ.

a [Dem.] Gregorius IX. videlicet, qui præsentem constitutionem edidit proprio motu contra hæreticos hinc expressos: & continet varia capitula, quæ inter epistolas ipsius Pontificis ordine 8. referuntur; nam licet Cathari jam primis Ecclesiæ sæculis damnati fuissent, ut probavi in cap. 8. hoc titulo; tamen cum temporibus Innocentii III. novi hæretici instaurassent hæresim

Manichæorum, etiam nomen Catharistarum innovarunt. In Germania dicebantur Cathari: in Flandria Piphles: in Gallia Tisserani, ut refert Spondanus post Baronium anno 1198. num. 27. & 1199. num. 11. ubi etiam agit de Patarenis, Humilitatis, & pauperibus de Lugduno.

b *Debita.*] Ultimo videlicet supplicio, juxta tradita supra in cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, §. 1. ubi commentarium hujus textus invenies.

S.

SI qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, a redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur: credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter judicamus.

NOTÆ.

a *Redire voluerint.*] Redire noluerint, legendum esse voluerunt Glossam in cap. inter, de purgat. canonic. Joannes Igneus in l. 1. §. cum Dominus, num. 34. ff. ad Syllan. sed perperam; licet in aliis codicibus ita legi referat Boër. decis. 341. num. 3. Tum quia pœnitentes, qui nolunt redire ad Ecclesiam, longè severius puniuntur, si quidem traduntur Curie sæculari, cap. ad abolendam, hoc titulo, cui admittitur lectio negativã, non rectè convenit præsens textus. Tum quia detrusio in carcerem ad agendam pœnitentiam, de qua in præsentia agit, tantum referri potest ad eos, qui redeunt ad Ecclesiam, errorem que confitentur, ac illum abjurant, ut patet, & probatur ex cap. ut commissi, vers. ut illorum, hoc titulo, lib. 6. Unde veterior lectio est affirmativa, quæ habet voluerit, quam retinent repetentes hic Boër. ubi supra, Simancas de Catholic. cap. 47. num. 31. Albertinus de hæreticis, cap. 1. num. 42. juxta quos, & alios Gregorius IX. in præsentia docet, quod et si hæretici impœnitentes, qui ad Ecclesiam non redeunt, tradi debeant brachio sæculari, juxta supra adductam in cap. ad abolendam: tamen verè pœnitentes, & veniam deprecantes admittuntur ad reconciliationem, ut evitent mortis pœnam, & detrudantur in perpetuum carcerem: quod adjecit Gregorius pro declaratione verticuli præcedentis, non quia aliquid contrarium decideret, ut contra Sylvestrum notavit Simancas ubi proxime, undè intelligens alternativam textus in cap. 1. hoc titulo, in 6. ibi: Curia relinquendus, aut perpetuo immurandus; ita ut prior pars ad impœnitentes referatur, posterior verò ad pœnitentes, ut advertit Alciatus in eodem textu, num. 42. contra alios existimantes per verba illa concedi electio-

nem judici, ut alterutram pœnam eligere possit; parum advertentes, textum illum non agere de pœna præscribenda, sed de modo degradationis, quæ hoc, vel illo casu facienda est. De his etiam hæreticis pœnitentibus intelligitur textus in cap. accusatus, in fine, hoc titulo, in 6. Undè constat, speciale esse in hoc crimine hæresis, ut per pœnitentiam liberetur reus à relaxatione Curie, & pœna mortis: & ita limitatur regula legis quæ a mente, ff. de furtis: & ita notatur in cap. ad abolendam, hoc titulo, Felinus num. 2. Abbas num. 5. Corrasius lib. 3. miscel. cap. 8. num. 5. Simanc. dist. tit. 47. & merito, quia divina majestas, in quam potissimum hæreticus deliquit, cap. vergentis, hoc titulo, 4. C. eod. non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam, & vivat, & sic hæretici obdurati pietate alliciuntur, ut facilius redeant, & pœnitentes, ac de præterito lapsu dolentes plenius satisfaciant. Hinc Joannes Sum Pontifex rogat Imperialem clementiam Justiniani in l. liquet, §. sed quia, Cod. de summa Trinit. ut si hæretici proprio deposito errore ad unitatem Ecclesiæ reverti voluerint, in Christianorum communionem eos recipiat, ea ratione quod gremium suum nunquam redeuntibus, ac pœnitentibus claudit Ecclesia, cap. super eo, de hæretic. in 6. facit edictum relaxatum in l. credentes, Cod. de summa Trinit. De jure civili non satis disertè constat, an hæreticis pœnitentibus venia delicti detur. In lege 4. in fine, Cod. hoc titulo, rescriptum est, delicti veniam pœnitentibus dari: quam sententiam probat P. Gregorius lib. 33. synag. cap. 8. num. 18. Verù in l. 3. Cod. de apostatis, lapsis, & errantibus subveniri scribitur; perditis verò, hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ succurri: quæ jura ut componat Vvesembichius

in

in parat. ad tit. Cod. de apost. affirmat in dicta lege 3. non agi de apostatis, sed de Anabaptistis, quos à cæteris hæreticis differre asserit, ideoque eis pœnitentibus nihil de pœna remitti: Anabaptistarum enim crimen facti est (inquir.) quod factum non tollitur pœnitentiâ, ut nec homicidium, adulterium, vulnus: ideoque nihil de pœna tollitur, quia manente causâ manet effectus. At reliquæ hæreses non consistunt in facto, sed in opinionis errore versantur; qui error cum per confessionem, & pœnitentiâ deponatur, venia conceditur. Sed hæc solutio facile convincitur, cum nulla ferè sit hæresis, quæ cum opinionis errore conjuncta, facta non habeat Ecclesiasticis mysteriis repugnantia Undè nulla differentia versatur inter Anabaptistas, & cæteros hæreticos. Accedit quia absurdum est dicere pro perditis ibi accipi Anabaptistas, cæteros verò hæreticos pro lapsis; cum certum sit, pejore Anabaptistis ac majori dignos odio Nestorianos, ac Manichæos ubique existimatos esse. Quare hæc omisâ solutione dicemus cum Cuiacio in parat. Cod. de apostat. dictam legem 3. esse non de Anabaptistis, sed de apostatis; est enim ipsa sub titulo de Apost. tam in codice Justin. quam in Theodos. Nec ea verba in ea inserta, *Sanctum baptisma profanantibus*, rei veritatem adumbrant, cum pars pro toto hic accipiat, sanctum quoque baptisma pro Catholica religione sit intelligendum: & ideo, cum ibi dicitur perditis nullo remedio pœnitentiæ succurri, est accipiendum de apostatis, quorum longè gravius est peccatum hæreticali superstitione; isti enim adhuc cives Ecclesiæ sunt, licet ejusdem veram doctrinam sathanæ insidiis deserentes: illi verò omninò à sacris præceptis sunt alieni, ut exponit Farinac. *quæst. 193. num. 16.* & hinc rectè in d. l. 1. lapsis, & errantibus subveniri dicitur; perditis verò nullo remedio pœnitentiæ succurri: lapsi, & errantes sunt hæretici, perditis sunt apostata; sicuti enim deperditum id dicimus, quod extra rerum naturam esse desit, l. deperditum 21. ff. de petit. heredit. sic eum, qui cum in vera via salutis sit, erat à semita, & tramite, lapsum dicemus; perditum verò, qui omninò remotus ab ea est: & hoc sensu Imperator Constantinus Paganos perditos appellat in l. 1. Cod. de paganis: & primis Ecclesiæ sæculis apostatis pœnitentiâ denegari probavi in can. 1. Concilii Iliber.

2.
De pœna
perpetui
carceris.

Hæreticis ergo in hæresi deprehensis, sed pœnitentibus, imponenda est pœna perpetui carceris, juxta constitutionem Friderici relata per Pennam ad calcem Directorii, & constitutionem Innocentii IV. editam Anno 1254. quæ incipit: *Noverit*, quàm refert Penna ubi supra. Probat Farinac. de hæresi *quæst. 193. §. 5. num. 101.* Salelles tom. 3. de materiis Tribun. lib. 6. cap. 7. regul. 487. Thomas Delbene part. 1. de offic. Inquisit. dubit. 156. Undè inferitur, & præcipuè ex hoc textu, ibi deprehensis, Hæreticis qui solum sunt de hæresi suspecti, leviter, aut vehementer non esse imponendam pœnam perpetui carceris, quia talis pœna tantum recedentibus forma iter à fide Catholica est injungenda; poterunt tamen illi temporariâ carceris pœnâ pecuniariâ, seu simili puniri Simancas de Catholicis, titul. 47. m. 53. Penna 3. part. direct. comment. 42. num. 172. Nec etiam perpetuò carceri mancipandi sunt, qui ante testium publicationem reatum suum fatentur pœnitentiâ flagitantes; quia non censentur plenè deprehensi

in hæresi, seu apostasia formali: quare illis juxta tempus, in quo pœnitentiâ petierunt, tempus carceris est taxandum, ut si statim ac deprehensi sunt, delictum fateantur, per sex menses in carcerem detrudantur; si verò dum accusatio proponitur, per annum, & si post accusationem, per biennium, si post torturam, in perpetuum: in ipsa autem pœna carceris perpetui, jure communi attentò ex cap. ut commisi, vers. Et illorum, de hæret. in 6. Inquisitores poterant dispensare commutando ipsam pœnam in peregrinationem, jejunia, & similia opera: sed hodie hoc reservatum est Domino Inquisitori Generali, ut jam notavit Simancas de Catholicis, titul. 16. n. 20. & titul. 47. num. 12. & solet Inquisitor Generalis cum damnatis simpliciter ad perpetuum carcerem post triennium; cum damnatis verò sine remissione, post octo aut decem annos dispensare si appareant signa veræ pœnitentiæ. Debet autem carcer competens viribus naturæ esse, sed ita, ut magis ad pœnam, quàm ad custodiam instituat, Clement. 1. §. propter, hoc titul. ibi: *Duro tamen tradere carceri, sive arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur.* Et tempus hoc carceris posse commutari ab Inquisitoribus; condemnando hæreticos ad trefemes per idem tempus, patet ex constitutione Alexandri VI. quæ incipit: *Venerabilis*, data die 26. Maii anni 1503.

Tandem sciendum est, pœnitentiâ hanc in carcere faciendam pertempus ab Inquisitoribus præsumitur, ut potè sollemnem, peragendam esse cum veste pœnitentiali, juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ut si facco illo induti, & signati, magis humilientur, argumento capitis in capite, 50. dist. docent Simancas supra, num. 9. Penna ad Emericum, 3. part. director. comment. 42. num. 175. Salelles lib. 6. cap. 7. regul. 490. qui diligenter inquirunt usum dicti habitus pœnitentialis. Et jam invaluisset primis temporibus Concilio Tarraconensi relato per Emericum 2. part. Direct. titul. de formis pœnitent. & ex quibusdam literis, seu sententiis Sancti Dominici, relatis à Camillo Campegio apud Zanchinum de hæretico. cap. 20. ex Concilio Tolosano celebrato anno 1229. ubi ita cavetur: *In detestationem quoque veteris erroris, duas cruces portent de cætero alius præminentes, alterius coloris, quàm sint vestes eorum, unam à dextris & alteram à sinistris.* Et cum adhuc dubitaretur, quonam modo, & ejus coloris hujusmodi cruces essent conficiendæ, in Concilio Biterrensi can. 24. ita cautum fuit: *In detestationem etiam veteris erroris duas cruces portent in superiori veste coloris crocei, longitudinis duorum palmorum, & dimidii, latitudinisque duorum, & in se trium digitorum habentes latitudinem; unam anterioris in pectore, & aliam posterioris inter scapulas: vestes, in quibus cruces portaverint, colores crocei non appareant, superiori veste intellecta, supra quam in domo, vel extra alia non portetur.* Habitum istum vulgò appellamus *Sambenito*, & varias hujus nomenclaturæ ratione adduxerunt Yepes in Chron. D. Benedicti, anno 682. Fr. Hieronymus Romanus lib. 5. Reipubl. Christ. Ant. Perez sermon. 2. de sancto Andrea. Haæphtenus lib. 5. disquisit. monast. tract. 7. disquisit. 3. Sed placuit ea, quàm sequuntur Yepes, & Haæphtenus, videlicet quod cum olim ob publica, & enormia delicta pœnitentes

De habitu
in pœnitentiâ

pœnitentes detruderentur in monasteriis, & ibi mutarent habitum, non erat alius, nisi ipsius religionis, profusque similis vesti monachorum, apud quos recludebantur. Fuit hæc autem forma apud Hispanos tam antiqua, ut in Barcinonensi Concilio anno 540. celebrato præscribitur: *Ut pœnitentes raso capite, habitu religionis amitti, omne tempus vite sue jejuniis, atque obsecrationibus impendant.* Et in Concilio Toletano IV. expressè præscribitur in hæc verba: *Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam totoderunt se, & rursus prævaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, ut veteres apostata coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur.* Et in 6. Tolet. Synodo, can. 7. ita statuitur: *Ut hi, qui sub religioso habitu pœnitentia professi pro venia peccatorum ad manum sacerdotis adducti, si post hæc, vel aut comam nutrientes, vel vestimenta secularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierint, ab Episcopo civitatis comprehensi rursus legibus pœnitentia in monasteriis subdantur inivit.* Inde conjectantur Yepes, & Hæphtenus ubi supra, pœnitentes hæresi abjurata detruos fuisset in monasteria Divi Benedicti, & detulisse scapulare ipsius Ordinis eo modo, quo Equites olim Militarium Ordinum sub regula D. Benedicti degentes deferebant scapulare parvum, quod vulgò dicebatur *Sanbeniullo*, ut probat Hæphtenus ubi supra. Unde licet postea rei ipsi detrudi cœpissent in carceribus sanctæ Inquisitionis, ad pœnitentiam peragendam, tamen habitus ipsius pœnitentialis vestis nomen retinuit, & ita à pristina detrusione in monasteriis sancti Benedicti, vulgò *Sanbeni*, appellatur. Alia de ipsius vocis ratione congescit Paramus de offic. *Inquisit. lib. 1. cap. 5. tit. 2.*

De coloribus & forma capitis habitus.

rubei coloris: cuius coloris rationem ex eo affignavit Hurtado tom. 2. de *residencia, resol. 7. subsect. 3. num. 68.* quia croceus color flammeus dicitur, ut ex Cypriano, Tertul. & Martiali probat. Unde habitus iste crocei coloris est cum crucibus rubeis, ut illum deferentes semper præ oculis habeant, per sanguinem Jesu Christi rubeo colore designatum, à gehennæ incendiis, & flammis inferni croceo colore designatis, liberatos fuisse; & quod si ad vomitum sicut canes, & ad volutabra fœtida hæreticos, sicut sues revertuntur, igni tradendi sunt: unde relapsi ipsi cum ultimo supplicio traduntur, sacco induto incedunt, cum flammis in ipso depictis. Quæ ratio myltica profectò est, nam moralis ex alio capite, & facilioti provenit, videlicet, ut ita facilius cognoscantur ita pœnitentes, ut majori rubore suffusi, humiliantur. Quarunt adhuc Paramus, & Hurtado ubi proxime, quare crux in ipso habitu rubeo colore intexta non ponitur juxta formam crucis in qua Dominus noster passus, & mortuus est, sed potius est crux decussata, ad modum illius, in qua D. Andreas martyrio coronatus fuit. Et omittis rationibus ab ipsis assignatis, eam veriolem credo, quod cum ipsi pœnitentes aliquando ad irrisionem uterentur his crucibus, quas semper in ipso habitu gestabant, placuit, ut crux decussata deinceps apponeretur, nec sine ratione; nam cum ipsi plerumque negent Christi Domini nostri adventum, & passionem, quem fidei articulum, cum Symbolum fidei ab Apostolis dictaretur, pronuntiavit S. Andreas, ut constat ex l. 1. tit. 4. part. 1. ibi: *San Andres dijo que recibio passion en poder de Poncio Pilato: è fue crucificado, muerto & soterrado.* Inde, ut habitu ipso fateantur se negasse, quod sanctus Andreas ut fidei articulum prædicavit, ipsius Apostoli crucein decussatam deferunt. *Credentes.* Vericulum hunc exposui supra in cap. *excommunicamus, §. credentes.*

CAPUT XVI.

^a Idem.

Abolutose b noverint à debito c fidelitatis, d hominii, & totius obsequii, quicumque lapsis e manifestè in hæresim f aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur adstricti.

NOTÆ.

^a *Idem.* Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem contra hæreticos motu proprio fecit à nemine consultus.

^b *Se noverint.* Ipso jure videlicet, nam licet ad tollendam aliquam obligationem juramento, vel non firmatam, sententia absolutoria requiratur, cap. *quamquam, de censibus, lib. 6. Clement. 1. de hæreticis, Clem. 2. de hæret. c. cum desideres 15. c. à nobis 28. cap. quamvis 58. de sent. excom. cap. ad aures 24. de simonia, probant Suarez de censur. disput. 7. sect. 1. Balboa in cap. 1. de iudiciis, num. 62. tamen in præfenti casu vassalli hæreticorum ipso jure liberantur à fidelitate illis promissa, propter atrocitatem criminis, ob quam ipso jure à tem-*

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

pore lapsus privantur omnibus bonis antea obtentis, ut probavi supra in cap. *vergentis*; & ita privantur ipso jure fidelitate à vassallis sibi promissa. Nec contrarium probant textus in cap. *vergentis*, cap. *excommunicamus*, el. *§. moventur, hoc tit.* ubi ut subditi liberentur à fidelitate Domini promissa, desideratur sententia. Nam omisâ solutione repentium in præfenti, qui asseruerunt, textus illos procedere de jure antiquo, in præfenti verò Gregorium novum jus statuere, dicendum est, Innocentium in dictis juribus procedere in diverso casu; ibi enim Principes ipsi, & Potestates sæculares non fuerant in hæresim lapsi, sed tantum ignavi, ac negligentes in compescendis hæreticis; unde cum non ita graviter peccarent ac ipsi hæretici, non ita severius

T

severius